





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**V S V**  
**CORTICIS PERUVIANI**  
CVM CAMPHORA REMIXTI  
IN FEBRIBVS EX PVTREDINE ORTIS.

---

INDVLTV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAE SIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACULTATIS MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSORVM PRAE SIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS  
LEGITIME IMPETRANDO  
AD D. XI. FEBRVARII cīo Icc LXII.  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
**IOANNES GVSTAVVS MARGGRAF**  
BORXLEBIA - SCHWARTZBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
EX OFFICINA VESTERIANA.

DISSESTITATIO INAGARIA MEDICI

V 2 V

GORITICIS PERVAVANI  
CVM CAVIORA RUMIX  
IN LERIBRA EX PLATENSIS ORTIS

CRTIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN RIGA TRIDRIVIANA

TRADITAE

ACRO ITALIAE ECHIUSINOM ET EXPERIMENTISMO

D'ANDREA LEIA RACHINERO

SCABIRUM ET TUMESCENTIA  
DONTIBUS PULVRAE ET CONSUMPTIS INITIIS  
MEDICINA ET PLURIBUS INSTRUMENTIS TAVEL DEDUCIT  
LACRATAS MEDICIS SINCERIS ALKALIOV ET ALIAS  
INTERFICIES ACARUM ET ALIAS CAVITATIBUS DEDUCIT

TRAGELADU DOCTOLIS

PLACITAM MATERIA

AD U X TERRAVANIS ET PLACITAM

EXPERIMENTIS

PROOFKA

JOANNES GELATA MANGATA

PLACITAM MATERIA ET PLACITAM MATERIA

AD CAVITATIBUS ET PLACITAM MATERIA

AD CAVITATIBUS ET PLACITAM MATERIA

CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO  
COMITI AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO LVDOVICO  
S. R. I. COMITI  
ASTOLBERG, KOENIGSTEIN, ROCHEFORT  
WERNIGEROODE ET HOHENSTEIN,  
DYNASTAE  
IN EPSTEIN, MVNTZENBERG, BREVBERG  
AIGMONT, LOHRA ET KLETTENBERG,  
CETERA,  
DOMINO SVO INDVLGEN-  
TISSIMO,

CERTISSIMO VECCHIO LIBRARISSIMO

SPECIMEN ACADEMICVM

IN

DOMINO

PUBLICVM ATQVE PERENNE

PIETATIS OBSERVANTIAE ET GRATISSIMI ANIMI

DOCUMENTVM

ET

INTER ARDENTISSIMA VOTA

PRO PERENNI INCOLVITATE SALVTIS

SACRVM ESSE VOLVIT

ATQVE

SE SVAQVE DE MELIORI HVMILLIME

COMMENDAT

DOMINO SAQ INDAGEN

IOANNES GVSTAVVS MARGGRAF.



SECTIO I.  
DE  
ACTIONE  
CORTICIS PERUVIANI ET CAMPHORAE  
IN CORPVS HUMANVM.



§. I.

Nulla fere scientia est, quae amatori suo tantam  
voluptatem, nulla quae medicae scientiae  
addicto tantam largiatur utilitatem, quam  
excellens illa naturalis Philosophiae pars,  
quam solemus *Chemiae* nomine insignire. Verfatur Chemia  
circa corpora naturalia mixta, qua talia, horumque idcirco  
indagat mixtionem, id est, partes miscibiles, modumque,  
quo inter se inuicem coniunguntur miscibilia. Nunc cor-  
pus humanum numero corporum naturalium mixtorum ac-  
censerit debet; corpora porro, quae in illud qualemcunque  
exferunt actionem, agunt mixtioni suaे conuenienter,

nullamque producunt actionem, quam quae ex simplici corporum, in aliud agentium, notione eorumque mixtione deduci potest. Quid ergo Chemia, ad Medicinam relata, vtilius, quid suauius & praestantius excogitari possit, plane perspicere nequeo; Medicus enim, in cognoscendis corporis humani qualitatibus & proprietatibus, inque aliorum corporum, vel assumtorum, vel foris applicatorum, vel nos ambientium, in illud actionibus perspiciendis & enodandis occupatus, sin sanis principiis cognoscendi relinquat locum iisque se velit morigerum praebere, corporis nostri aliorumque etiam, in machinam nostram agentium corporum, mixtionem, debet necessario familiarem sibi reddidisse. Ego quidem, ex quo mihi, discrimina rerum distincte cognoscendi, data est potestas, sedulo haec semper pensitavi, sicque, naturali quadam amore in Chemiam ductus, blando eius memet ipsum submisi iugo, & omnem postea diuinis illius praceptoris cognoscendis & ad Medicinam applicandis operam nauauui. Absoluto demum stadio academico, corporum quorundam naturalium, quae pro specificis ab hodiernis Medicis venditantur, mixtionem indagare incepi, eo fine, vt ex ea vsum illorum, alis principiis therapeuticis simul in auxilium vocatis, determinarem; omnia dein colligerem & in formam Dissertationis academicae, ad impetrandos summos in arte salutari honores, redigerem. Plura iam capta erant experimenta; omnia felicem promittebant euentum. Verum enim vero in medio huius tramitis comparebant, quae praeuideri non poterant, resque tum, quae circumstabant, vt festinarem nullamque necsterem moram iubebant. Mutandum itaque erat, quod ceperam, consilium. Legeram interim, quae recentiori tempore *Illustris Viennensis Professor, Anton. de HAEN, in Ratione medendi, Practicis tam charo scripto, de* vsu

*vſu corticis Peruianī*, cui *campboram* nonnumquam admissuit, in febribus, sic dictis, malignis exposuit. Non inelegans hinc putaui hoc fore thema, si illud publico scripto academico enodarem, inque eodem *vſum corticis Peruianī*, *cum camphora remixti*, in febribus ex putredine massae humorum ortis, a priori determinarem. Optime scio, vnicam obseruationem plus valere, quam mille rationes, assertum esse, quod a nonnullis Catoniana fronte cuiilibet opponitur, qui medicamentorum vires a priori euincere in ſe ſuscipit. Non est, vt hic limites huius asserti ostendam. Sciant, qui idem contra me adducere veſſint, tantum, plures obſeruationes & mille rationes, ſimul ſumtas, plus valere, quam vnicam obſeruationem. Qui autem aliter de negotio & labore meo iudicas B. L. ſis, rogo, hisce meis conatibus amicus; audi, opinionum praeconceptarum lenocinia negligens, rationis & experientiae verba, quae nos numquam, Sirenum more, adumbratis blandimentis in deuia deducunt!

## §. II.

Cum medicamentorum vſus, in morbo quodam, ex actione illorum in corpus humanum deduci debeat: ſequitur, nobis, ad negotium noſtrum rite expediendum, ante de *actione corticis Peruianī*, *cum camphora remixti*, in *corpus humanum* agendum, & ex hac cognita demum, *vſum* horum medicamentorum, inter ſe mixtorum, in febribus ex putredine ortis, deriuandum eſſe. Priori hanc, posteriori ſequentem destinaui Sectionem. Cuiuslibet corporis, ex mixtione ſua in aliud agentis, actio mixtioni corporis agentis respondet, & ex hac enodari debet. Hinc ſi duo corpora mixta iterum inter ſe misceantur, atque tum in aliud corpus tertium agant: ad actionem illorum in hoc diſtincte perſpiciendam tria requiruntur momenta. Primo  
nimi-

Sect. I. De actione corticis Peruiani & Camphorae

nimirum cognitio actionis corporis prioris agentis in corpus tertium; secundo cognitio actionis corporis posterioris agentis in corpus tertium; tertio denique cognitio actionis utriusque corporis mixti agentis in corpus tertium. Quare primo loquar de actione corticis Peruiani in corpus humanum; dein de actione Camphorae in corpus humanum; tandem de actione corticis Peruiani cum Camphora remixta in corpus humanum. Sic enim ipsam imitabimur naturam.

§. III.

*Cortex Peruianus*, fons ille, in aeternum forsitan duraturae, inter Medicos disceptationis, nostram praecipue meretur attentionem. Non repeatam hic, quae ad historiam illius naturalem referenda sunt; neque tristibus illius fatis immorabor, quae ipsi cum Opio, Mercurio & Ferro sere sunt communia. Vtrumque ab aliis dignius adumbratum. *Vid. Illustr. PRAESIDIS Fundament. mater. med. Part. II. Clas. VI. §. XXII. seqq. Celebrerr. WERLHOFII Tract. sistent. Obseru. de febribus Sect. III. & Illustr. de HAEN Ration. medendi Part. III. Cap. I. & V.* Paucis tantum, cum Illustri PRAESIDE (§. XXV. l. c.), moneo, optimum corticem masticatum, gustum acrimonia & amarore, multis nauseo, cum aliqua adfrictione ferire, sine eximie austera acerbitate, saporemque sic ex acri & amaro velut leniter aromaticum & aliquantulum mucidum, similemque odorem monstrare. Haec actioni illius cognoscendae multum inseruiunt.

§. IV.

Affirmo, corticem Peruianum constare ex particulis resinosis, salinis & terreis tenerioribus, ita tamen, ut particularum terrearum copia maxima, resinofarum minor, gummosarum adhuc minor, & salinarum minima sit. Patet huius asserti veritas ex experimentis. Spiritus vini rectificatissimus, cortici

tici adfusus, tingitur essentiarum colore. Aqua calida, ei-  
dem addita & superfusa, partem illius soluit & colorata  
euadit. Quid? quod, spiritus vini rectificatus absque vlla  
difficultate eodem modo, vt aqua, corticem afficit. Er-  
go constat, corticem Peruianum particulas resinosas &  
gummosas oppido tenere (per Chem.); quarum illae lon-  
ge majori amaritie, quam hae, feriunt linguam (per expe-  
rient.). Adfuso cortici Peruiano congruo menstruo, hoc,  
vti dictum est, quasdam illius in se recipit partes; verum  
remanent simul particulae paucae, omnem vltiorem re-  
spuentes solutionem, quae tamen, ignem sentientes, fa-  
cile in auras tendunt, inque fumum soluuntur. Ergo cor-  
tici Peruiano inhaerent quoque particulae terreae subtilio-  
res (per princ. chem.). Tandem ex cortice Peruiano par-  
ticulae salinae fixioris indolis impetrari possunt, & hoc  
quidem modo, vt eductorum potius, quam productorum  
instar concipi debeant (b. m. NEVMANNI *Praelect. chem. a*  
*ZIMMERMANNO* edit. P. III. Cap. LII.). Nullum ergo  
erit dubium, quin idem dictas particulas actu in se conti-  
neat (per Chem.). Spiritus acidus quoque, oleumque  
empyreumaticum adscendunt, cortice igne aperto tractato.  
Verum nec acidum, nec oleum proxime, vt reliquae par-  
tes, ad constitendum corticem Peruianum concurrunt,  
sed remotius tantum, cum omnis resina & acidum & oleum  
sibi vindicet. Libra integra corticis praebet drachmas  
decem cum scrupulis duobus extracti spirituosi, drachmas  
sex extracti aquosi, scrupulos duo salis fixi, vncias tre-  
decim vel quatuordecim principii terrestris. Maximam ita-  
que corticis partem expletum terrium principium tenerius;  
minorem resinofum, hacque adhuc minorem gummosum,  
minimam denique salinum. Ex quibus omnibus veritas  
nostrae propositionis elucescit. *Confer. pluribus Illuſtr.*

B

PRAE-

PRAESES l. c. §. XXIII. Celeberr. b. m. NEVMANNVS l.c.  
Illustr. b. m. IVNCKERI Dissert. de usu Cort. Peruuiani discre-  
to & sollerius experimentando §§. IX. X.

## §. V.

*Actio corticis Peruuiani in corpus humanum ex terreis, resino-  
sis & gummosis principiis eius determinari debet, missa prin-  
cipii salini actione.* Actio corticis Peruuiani in corpus hu-  
manum triplici modo considerari potest; *vel* enim agit, *vt*  
remedium exterius ad solutas partes immediate applicatum,  
*vel* *ut* medicamentum, actionem suam in ventriculum &  
intestinorum canalem exserens, *vel* *demum ut* corpus,  
quod, massam sanguinis ingressum, vi sua in hanc & partes,  
quas eadem motu suo continuo, & fluida, secreta a sanguine,  
attingunt, agit. Cortex Peruuianus, quatenus exte-  
rius corporis humani solutis partibus immediate applicatur,  
agit 1) *ut* corpus gummosum; hoc enim in mixtione cor-  
ticis continetur (§. anteced.), & aptum est idem, *ad* sub-  
eundam a fluidis corporis humani, e partibus solutis stil-  
lantibus, solutionem (per princ. physiol. & chem.); 2) *ut*  
corpus resinosum. Cortex enim oppido tenet resinam  
(§. ant.), haecque ex parte saltem a fluidis corporis huma-  
ni soluitur (per Physiol. & Chem.); 3) *ut* corpus terreum.  
In cortice Peruuiano latitat principium terrestre tenerius  
(§. ant.); quod, cum necessario, vtpote vasa & fluida im-  
mediate sub hypothesi tangens, in haec agere oporteat *ut*  
corpus terreum: sequitur etiam, corticem Peruuianum,  
exterius partibus corporis humani solutis applicatum, in  
has agere, *ut* corpus particulis terrestribus gaudens, debere.  
Cum itaque cortex Peruuianus sit corpus terreum & resi-  
noso-gummosum (§. ant.), cum corpus resinoso-gummo-  
sum ex parte saltem per fluida corporis humani solui possit  
(per anteced.), cum porro terra, cortici inhaerens, sit  
tene-

tenerior (§. ant.), & actionem suam in partes, quas immediate attingit, exserat (per anteced.): sequitur, corticem in ventriculum non solum & intestina, verum etiam in sanguinem, fluida ab eodem secreta, & partes reliquas, quas, ope motus sanguinis fluidorumque secretorum protrusus, salutat, ut corpus terreum & resino-gummosum agere. Verum enim vero cortex Peruianus, praeter dictas partes, continet quoque salinas fixiores (§. anteced.), a fluidis nostris itidem solubiles (per Physiol. & Chem.). Ergo corticem etiam ut corpus salinum agere in nos, videri possit. At enim vero minima est in eodem harum particulorum quantitas (§. anteced.). Minima autem salium fixorum quantitas, minimam quoque producit actionem (per Obser.), quam euanscere & nulli aequalem esse Phylicus iudicat. Debet ea propter principii salini, in cortice Peruiano latentis, actio in corpus humanum, ut infinite parua, mitti. Errauit itaque ex hoc fundamento DETHARDUS, qui in *Differ. de Causa & indole febrium intermittentium* §. LII. dicit, salinum principium, quod in cortice adsit, ad viscidi febrile resoluendum aptum esse. Utinam huic sententiae numquam contraria fuisse experientia.

## §. VI.

*Cortex Peruianus erit remedium absorbens, balsamicum, adstringens, hinc & roborans seu tonicum.* Remedium, quod aquam fluidorum corporis humani quasi imbibit & fugit, quodque praecipue biliosam & acidam eorum corruptionem imminuit, dicitur *absorbens*. Terraes teneriores sunt remedia absorbentia (per exper.). Ergo cortex Peruianus erit absorbens (per anteced. & §§. IV. V.). Patet huius rei veritas a posteriori ex obseruatione *Illustr. b. m. STAHLII.* Magnus ille & Opii & Corticis osor, post huius

ius vnum vomitu tandem reiectam esse materiam conglobatam obseruauit, quae in terram proiecta vix pedibus conteri & subigi poterat (*Ioan. IVNCKERVS l. c. §. XIV.*). *Balsamica* ea dicuntur, quae putredinem, in massa humorum praesentem, refraenant & temperant, hucque omnia pertinent, quae amarore linguam feriunt (per Obseru.). Ergo cortex Peruianus erit remedium balsamicum (per anteced. & §. III.). Egregius huius corticis effectus in sphacelo, cancro, ulceribusque aliis valde putridis, hanc illius vim satis superque comprobavit. Vid. *Illustr. PRAESIDIS Fund. Mat. med. l. c. §. XXIII.* *Perill. v. SWIETEN Comment. in Aphorism. Boerbaauii Tom. I. §. 447.* *Illustr. b. m. IVNCKERVVS l. c. §. XXXVII.* Nonne ob eandem rationem in lentis & hecticis febribus tantam exserit virtutem? Male ergo a nonnullis eius balsamica vis negatur & in dubium vocatur. Solidae omnes corporis humani partes habent in statu naturali, seu fano, robur quoddam determinatum, seu tonum. Medicamentum & remedium, quod amissum determinatum illud robur restituit, nuncupatur a Medicis *robورans*, seu *tonicum*. Quod vero illud maius reddit, quam ad statum sanitatis requiritur, dicitur *adstringens*. Quamobrem vnum idemque remedium, quamuis diuerso respectu, dici poterit modo *tonicum*, modo *adstringens*. Vtranique actionem ea corpora exserere obseruantur, quae cum particulis terreis tenerioribus, ad elementorum interstitia subeunda aptis, acrimoniam quandam coniungunt. Cortex itaque Peruianus erit modo *tonicum*, modo *adstringens*, pro diuersitate scilicet & doseos illius & gradus solidorum tensionis, qui in corpore, quod eum adsumit, obtinet (§§. III. & IV.). Quis vnquam de hac illius vi dubitauit, cum omnes inde oriantur contra eundem querelae?

§. VII.

## §. VII.

Cortex Peruvianus coagulantem & vermes enecantem habet virtutem, excretiones sanguineas fistit, debilitatem & morbos inde pendentes tollit, atque ideo nonnumquam virutes oppositas & contrarias nanciscitur. Id, quod fluidorum corporis humani fluiditatem imminuit, dicitur *incrassans* seu *coagulans*. Atqui cortex Peruvianus est absorbens atque, particulatum terrearum teneriorum ope, aquam nostrorum fluidorum in se suscipit (§. ant.). Aqua autem efficit fluiditatem humorum corporis humani (per Physiol.). Ergo cortex Peruvianus erit coagulans, seu incrassans. Docuit obseruatio, amara corpora deglutita vermes, si praesentes fuerint, enecare. Quamobrem in cortice Peruuiano virtus, vermes enecandi, latebit (§§. III. VI.). Haemorrhagiae fistuntur, admoto ad locum haemorrhagicum corpore quodam coagulante, roborante & adstringente (per princ. Therap.). Atqui cortex Peruvianus est remedium coagulans, roborans & adstringens (§. anteced.). Ergo haemorrhagias compescere valebit. Debilitas robori est opposita. Quidquid ergo hoc auget, id illam imminuit. Quare cortex Peruvianus debilitatem tollit (§. anteced.). Cessante causa cessat ab eadem pendens effectus. Eluescit inde, corticem chiaue non tantum debilitatem, sed & morbos, inde exclusos, remouere (per ant.). Debilitas corporis & intestinalium causâ est, vnde motus M. S. & excretio in peripheria corporis & per aluum facta languescunt (per princ. Pathol.). Verum cortex Peruvianus tollit effectus debilitatis (per anteced.). Ergo motum M. S. praecipue a debilitate corporis mitiorem redditum, & excretionem tam in peripheria corporis, quam per aluum factam, in statum naturalem redigere debebit cortex, si & haec propter debilitatem sufflaminata sit. Ast adstringentia excretiones natu-

turales tam excedentes, quam naturaliter constitutas, cohibent (per princ. Therap.). Ergo cognoscitur, corticem Peruvianum debere excretiones naturales, vel naturaliter constitutas, vel propter debilitatem respectiuam excedentes, imminuere, & eas, quae propter spasimum cohibitae sunt, magis adhuc sufflaminare, nisi forsitan spasmus a debilitate, aut putredine fluidi cuiusdam excitatus fuerit (per anteced.). Fieri ergo potest, vt cortex saepe dictus virtutes sibi e diametro oppositas exserat. Hisce omnibus, rite a priori stabilitis, apprime respondent obseruationes. Incrassantem illius vim non solum STAHLII obseruatio (§. ant.) demonstrat, sed eandem etiam tristes corticis male exhibiti effectus, v. g. scirri, satis superque euincunt. Decoctum chinatum, lumbricis terrestribus viuis affusum, hos enecat, vti a Pharmacopoeo, neque imperito, neque mendace, relatum accepi. Celeb. b. m. HESTERVS (*Compend. Medicin. pract. ed. Amstelod. p. 330.*) habet Electuarium anthelminticum, quod ex pulu. chin. finiss. vncia vna, Mercur. viu. vncia dimidia & syrupo atque conserua conuenientibus paratur (*Clariss. KLEINII Select. medicam. ration. p. 55.*). RAMAZZINVS, LANZONVS, KLEINIVS, ipsi eandem virtutem attribuunt. Quod ergo cortex vermes enecet, dubitari nequit. Contra haemorrhagias commendatur ab HELDIO (*Ephem. Nat. Curios. Cent. III. & IV. Obseru. 170.*) & a Celeb. WERLHOFIO (l. c. §. V. p. 53). Celeber. TRALLES eundem, licet sublata iam haemorrhagia vteri enormi, eximio cum fructu adhibuit; vid. EIVSDEM Obseru. de Vteri haemorrhagia enormi, praeceps exitium minitante, sanata, quae Nou. Act. Acad. N. C. Tom. I. Obseru. LXXXII. inserta & lectu dignissima est. Conf. quoque Illustr. PRAESES l. c. §. XXIII. Reliqua dicta facile comprobantur ex obseruatis & conaminibus Virorum Praxi cl-

clarissimorum. *Celeberr. WERLHOFIVS* (l. c.) aliique corticem ad sistendas haemorrhagias sub orgasmo nimio non usurpat. Concedunt itaque corticem motum sanguinis augere. Verum & hic fieri potest, vt contrarius effectus subnascatur, quando scilicet motus sanguinis auctus est a putrida & vere maligna materia; tum enim, ob balsamicam suam vim (§. VI.), orgasmum potius refraenabit. Vid. *Illustr. de HAEN* l. c. P. III. Cap. 1. pag. 66. VIII. *KLEINIVS* clysterem chinatum laudat in intestinorum crassorum atonia, hincque pendente inflatione tympanitica (l. c. pag. 40.) & (pag. 46.), differens de decocto corticis Simarubae, adiicit: *Prositeor ramen ingenue, me plus vice una, plus proficisse cortice Peruuiano in alii fluxibus, quam Simarubae.* *Illustr. de HAEN* (l. c. Cap. V.) cachexiam eius vsu in puella sustulit. Hydrops anaferca, ex corrupta febre quartana, in grauida, cum subsequente sphacelo circa genitalia, cortice Peruuiano sublatus est, testante *SACHSIO* (*Nou. Act. Acad. N. C. Tom. I. Obseru. XCVI.*). Idem testatur de hydrope *Celeb. b. m. HEISTERVS* in peculiari Dissertatione, *de Quartana & hydrope per corticem Peruuianum curatis.* Et quis omnia exempla curati per eundem hydropis enumerare potest? Nonne autem ex his satis adparet, corticem tollere debilitatem eiusque effectus? *Illustr.* etiam *PRAESES* hunc in diarrhoeis & fudoribns colliquatiuis, imbecillitate ventriculi, cachexia & hydrope commendat (l. c. §. XXIII.). Nonne ergo sufflaminat excedentes excretiones naturales, nonne tollit debilitatem? *Nocere videtur cortex*, inquit *praestantissimus WERLHOFIVS* (l. c.), *in morbis spasticis & conuulsuibus continentibus & augecentibus, eorumque ipsis praesentibus & increcentibus paroxysmis.* Paullo post vero afferit, *illum nihil minus suepe iuuare eos, qui strictura spastica quarundam partium particulari affecti sunt & tono simul laxiori laborant.*

rant. Patet ex his, corticem Peruvianum spasmos, eiusque effectus augere, nisi a debilitate partium producti fuerint spastici motus. Quod vero spasmum, a putrida materia obortum, tollere debeat, patet omnino ex vi eius balsamica (§. VI.), licet per se in ipso paroxysmo minus commendari mereatur. Ex disputatis hactenus simul adpareat, quoniam respectu cortex Peruvianus dici possit diaphoreticum remedium & catharticum? Eodem fere modo sese habet res cum cortice Chine, ac cum balneis & aquis martialibus. Balnea martialia adstringunt, vt & aquae martiales, atque ideo excretiones cutaneas aliasque, in quas agere possunt, potius cohibent ac refragant, quam augent. Nihilo tamen minus aliter euenit in subiectis debilioribus. Noui ego feminam quandam, a debilitate corporis hysterica factam, quae, balneis martialibus summo cum fructu vtebatur, nonnumquam ipsam aquam, copioso marte imbutam, assumentebat. Putabant omnes fore, vt excretio aluina, antea iam languescens, inde adhuc magis languida redderetur. Verum plane contraria eueniebant; optime enim vigebat haec excretio, & aegra numquam, quamdui hoc vtebatur remedio, de vlla conquesta est alii obstructione. Ridiculum foret, corticem & aquas martiales in genere referre ad diaphoretica & cathartica; non enim diaphoresin pellunt per se, neque aluum, si exactius res consideretur, restringant, sed causam tantum, has excretiones impedientem, debilitatem nempe, tollunt, atque ideo easdem restituunt. Vti Opium, licet aluum, ob spasmum clausam, apertam reddat, nihilo tamen minus ad remedia pertinet, quae aluum obstruunt (*Celeber TRALLES Tract. de Opio Sect. I.*): sic cortex etiam ad haec remedia & ea, quae alias excretiones cohibent, in genere referri debet, quamvis certum sit, eundem diuersas excretiones, propter virium languorem immi-

imminutas, augere & restituere. Exactius & plenius haec omnia disputauit, ne B. Lectori in subsequentibus dubia quaedam contra asserta nostra, ex his deducenda, subnascantur.

§. VIII.

*Cortex Peruvianus pleroricis minus conuenit, neque minus iis noxious est, qui obstructionibus, a materia valde viscida subnatis, aut tumoribus scirrhosis iam laborant.* Qui plethoram in vasis alunt, ii ad orgasmos sanguinis & obstructiones valde sunt proclives (per princ. Pathol.). Quidquid ergo subiecta talia ad orgasmos & obstructiones magis disponit, illud ipsis erit noxium (per Therap.). Iam cortex Peruvianus circulum sanguinis intendit (§. anteced.), coagulat quoque & inspissat (§. cit.), neque minus adstringit (§. VI.), adeoque ad obstructiones corpus facile disponit (per Pathol.). Ergo vitari debet in corporibus pleroricis. Conf. *Celeberr. WERLHOFIVS l. c.* Quum itaque cortex obstructions sine magna difficultate in corporibus, ad eas dispositis, causetetur, vti modo est a me demonstratum, & scirrhi a validis obstructionibus ortum suum ducant (per Pathol.): elucescit, illum obstructiones, iam praesentes, & scirrhos augere, hinc in tali corporum statu vitari debeare. Atque exinde nunc causa noxae in febribus intermittentibus, ab vsu corticis nonnumquam obseruatae, absque vlla deducitur difficultate; cuius tamen, vtpote ab aliis iam determinatae & cum scopo meo parum cohaerentis, fusiorem contemplationem hic omitto. Vid. *Illuſtr. PRAESES l. c. §. XXIV.*

§. IX.

*Non opus est, vt, si cortex Peruvianus vere indicetur, hic variis salibus corrigatur, aut ipſi eius extracta substituantur; omnibus tum puluis corticis sicerus praferendus est.* Vis corti-

C

cis

cis adstringens & coagulans plurimis incredibilem iniecit metum, & quidem tantum, vt illum variis salibus corrigeret, immo extracta eius ipsi substituere necessarium esse contendant. Vis corticis vtraque pendet a terreis eius particulis, vti in superioribus euictum est, neque ideo negari potest, extracta eius, aut ipsum corticem, salium ope armatum, minori in gradu agere, quam purum corticem. Pone, vt omnia clariora fiant, dimidiā virtutis, quae in cortice latitat, partem inde imminui. Substitue, si lubet, aliam quamecumque quantitatem, id mihi perinde est. Nonne tum dimidia pars seu dosis sinceri corticis eundem exseret effectum, quam is est, qui ab eius extracti, aut corticis ipsius, sed cum salibus remixti, integra dosis producitur? Elige ergo minorem puri pollinis quantitatem: habebis tum eundem plane effectum, ac is est, quem longe maior corticis, sed correcti, quantitas caußatur. Quamobrem extractum corticis, & cortex, per salium interuentum correctus, prae sincero illius polline nullam habent praerogatiuam. Quum dein, si cortex ex fanis artis regulis vere indicetur, adstrictio etiam & coagulatio humorum aliqualis vel indicari, vel saltem non contraindicantia esse debeat; quum porro neque adstrictio, neque coagulatio ab extractis corticis, aut puluere huius correcto tanto in gradu perfici possint: sequitur, purum & sincerum corticis pollinem illis semper esse praferendum. Similia profert *Celeberr. TRALLES l. m. c. Cap. VII. §. IV. pag. 303.* peritos, inquiens, haud latet, pollinem sincerum, totam corticis substantiam habentem, ut eum natura elargita est, multum anteponi debere decocto, & extracto, meracissimo licet, & optimè praeparato; cum neutrūm horum custodiat id omne, quod remedio proprium est. Tanto autem magis ludicra est illorum opera, qui sal quoddam essentiale, magnarum in minuta mole virium, inde

*inde parare allaborant.* Vid. quoque *Illustr. PRAESES* l. c. §. XXVI. Interim extractum corticis spirituosum validius agit, quam aquosum (§. IV. & *NEVMANNI Chem.* l. c.).

## §. X.

Sed relinquo iam corticem Peruvianum, & ad *Campboram* me conuerto, cuius effectus in corpus humanum facilius explicari possunt, cum minus de iisdem disputatum sit. Non iam quaestionem mouebo, an camphora sit resina, aut potius oleum condensatum? mihi enim cum effectionibus eius potius res est, qui sine huius quaestione solutione determinari possunt. Interim tamen, ut ego saltem arbitror, neque resinarum, neque oleorum numero debet accenserri camphora. Nullum enim continet acidum principium, neque etiam cum acido, ipsi adfuso, in resinam abit; prius ad resinam, posterius requisitum ad olea, quibus accenseretur camphora, necessario requiritur. Pluribus conser. *NEVMANNVS* l. c. *P. III. Cap. XXVIII. & Celeberr. CARTHESERI Pharmacolog. Sect. II. pag 123.* Constat videtur ex terreis particulis tenerrimis & principio inflammabili seu phlogisto (*NEVMANNVS & CARTHESERVS* l. c. *Illustr. PRAESES* l. c. *P. II. Clas. IX. Sect. II. §. VIII.*). Camphora corpus est valde volatile, ut odor demonstrat; interim eadem, frigidiori aëri exposita, aut congruis vela mentis inclusa, intra longum temporis spatium ne vnicum ponderis granum amittit (*NEVMANNVS* l. c.). Nonne inde ingens huius principii volatilis patet subtilitas? Nonne eandem celerrima eius per vasa resorbentia corporis humani resuntio euincit? Noui quendam, cui ob morbi genium commendabantur clysteres camphorati. Vtebatur iisdem, at post breve temporis interuallum se camphorae saporem in ore sentire dicebat. Quanta itaque debebit esse huius principii subtilitas! Ore retenta camphora, saporem

acrem, vrentem, amaricantem exhibet; saliuam copiosius adfert, tumque stillat haec non ex iis tantum locis, quibus admota est camphora, sed ex remotioribus quoque affluit; vrentem denique saporem excipit manifestus frigiditatis sensus, in iis etiam oris regionibus, quibus camphora immediate non adhaeret. Confer. praeterea *Illustr. PRAESES l. m. c. §. VI.*

### §. XI.

*Cambphora vasa & cor irritat, circulum sanguinis intredit, sanguinem resolut, vasos sanguinis discutit, auget excretiones naturales serosas, calorem denique maiorem reddit.* Diximus §. antec. camphoram, in ore retentam, saliuam ubique aduocare, saporem eius acrem esse & vrentem. Irritat ergo potest partes corporis humani irritabiles. Nunc vasa corporis humani sanguifera & cor irritabilia sunt (per Physiol. & Exp.). Ergo camphora tam cor, quam vasa, sanguinem in sinu fountia, irritabit. Huic thesi calculum suum non denegat *Illustr. PRAESES l. c. §. VIII.* afferens, camphoram solidas nervosò-musculo-membranaceas partes elasticas ad vegetiores contractions excitare. Id, quod cor & vasa irritat, efficit, vt harum partium actiones maiores euadant (per Physiol.), hinc, vt sanguis celerius moueatut (per eand.). Camphora itaque circumflexum sanguinis intedit (per anteced.). Idem contendit *Illustr. PRAESES l. m. c. camphorae vires commouentes adsignans.* Et quis vnumquam de hac eius vi dubitabit, cum omnes ferme nitri additionem sub visu eius interno necessariam ducant? Actio vasorum in laticem sanguineum maior, circulus sanguinis magis intensus, ad cauñas, quae sanguinem resoluunt, pertinent (per Physiol.). Quamobrem camphora sanguinem resoluet (per anteced.). In primis autem hanc obtinet virtutem propter particulas subtilissimas (§. ant.), sanguine speci-

specifice leuiores. Harum enim auxilio facililime in interstitia globulorum sanguineorum penetrat, horumque immunit cohaesione; vid. *Illustr. EBERHARDI Gedanken von der Würk. der Arzneimit. im menschl. Leibe überhaupt. Hal. 1750.* §. 26. *Illustr. PRAESES camphorae vires potenter resoluentes tribuit (l. c.), & Ioan. FREINDIVS Camphora*, inquit, *omnium attenuantium forte est validissimum.* Discussio staseos sanguineae species est resolutionis sanguinis. Ergo camphora Itasin, a sanguine factam, discutere debet. *Camphora*, inquit *Illustr. PRAESES, viribus discurrentibus instructa est.* Resolutio sanguinis maior & actio vasorum a tergo maior ad caussas validiorum excretionum naturalium ferosarum pertinet (per Physiol.). Ergo has augebit camphora (per ant.). Mouet sudorem, nam *Cel. SCHREIBERVS* (*in Observat. & Cogitat. de Pestilent. quae in Vcrai. griffata est*), multus est in demonstrando, quod camphora, cum mercurialibus mixta, constitutuat potens sudoriferum. Mouet diuresin, etenim b. m. *IVNCKERVS* (*Therap. gener. Tab. IV. n. 9. pag. 133.*) omittenda vero est, inquit, *in nephritide, quia stimulo diuretico eam saepe exasperat;* atque idem hic ad diaforetica & sudorem excitantia refert eandem. Cum camphora actionem vasorum intendat, circulum sanguinis augeat & sanguinem resoluat, hinc phlogiston sanguinis libaret, cum porro ipsa phlogiston copiosum in se contineat (§. ant.): nullum erit dubium, quin camphora calorem corporis augeat (per Physiol.). Scio esse, qui ipsi vim refrigerantem attribuunt. Sed prouoco ad experientiam, in subiectis sensibilioribus praecipue instituendam; prouoco iterum ad nitri additionem, ab omnibus fere commendatam; prouoco ad conuenientiam Camphorae cum Opio (*TRALLES l. c. S. I. & Append. ad Tom. I. Nou. Act. Acad. N. C. pag. 170. seq.*). Neque huic thesi contradicere videtur sensus

fus ille refrigerationis (§. anteced.). Experientia enim & iusta ratiocinia nos numquam decipiunt.

### §. XII.

*Camphora dolores & spasmos sedat, putredini resistit, vermes enecat.* Stases sanguineae caussae sunt possibles, vnde dolores & spasmi excitantur (per princ. Patholog.). Atqui camphora illas tollit (§. ant.), hinc earum quoque effectus. Ergo camphora dolores sedat & spasmos. Accedit balsamica eius virtus, quam continuo demonstrabo; accedit etiam conuenientia cum Opio (§. anteced.). Atque hinc a *Clar. LOVIS* ad anodyna sedantia refertur. Vid. *Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'Acad. roy. de Chirurg.* Tom. II. pag. 121. aut *Comment. de rebus in Scient. nat. & Med. ges.* Volum. VIII. P. I. pag. 83. & *Nou. Act. Acad. N. C.* T. I. p. 198. *Illustr. PRAESES* l. c. §. IX. *Illustr. de HAEN* l. c. P. III. Cap. V. pag. 194. Quaevis amara putredini resistunt (per Obseru.). Camphora amarore sat notabili linguam ferit (§. X.). Hinc erit balsamicum remedium. Ob hanc etiam rationem *Clar. LOVIS* eandem ad anodyna pertinere asserit (l. c.). Adiecta massae putridae, eius putredinem sistit, vt frequens docuit experientia. Commendatur contra gangraenam; laudatur in lue venerea. Nonne haec omnia balsamicam ejus vim satis superque euincunt? vix enim credibile est, camphoram ideo tantum, quoniam viscidam & tenacem materiam resoluit, tam pulcros & egregios in lue venerea exferere effectus. Verum & alio modo concipi potest virtus camphorae antiputredinosa. Camphora enim sudores & vrinam mouet (§. anteced.). Quodsi itaque massae humorum putridum inhaereat, & camphora adhibeatur: continget, vt illud excernatur, ideoque amplior putridi propagatio impediatur. Quum denique omnia amara vermes vt plurimum enecent (per Obseru.): sequitur,

cam-

camphoram quoque ad enecandos vermes aptam esse, de qua eius vi nemo, vt arbitror, iure dubitabit.

§. XIII.

*Camphora in plethoricis non est adhibenda.* Camphora intendit motum circulatorium sanguinis (§. XI.). Hinc orgasmos in plethoricis efficere debebit (per princ. Pathol.). Verum in plethoricis orgasmus est morbus sat periculosus (per Therap.). Ergo omnia remedia, orgasmum sanguinis excitantia, sub plethora sunt fugienda, & per consequens etiam camphora (per ant.). Explicauit itaque haec tenus effectus tam corticis Peruiani, quam camphorae, quatenus vtrumque solitarie in corpus humanum agit. Sequitur, vt nunc corticis Peruiani, cum camphora remixti, effectus, quos respectu corporis humani edit, ostendam (§. II.). Per se autem intelligitur, copiam & dosin huius medicamenti & vtriusque mixti, firmis Therapiae fundamentis, felicis Praxeos fontibus, respondere & inniti debere.

§. XIV.

*Cortex Peruianus, cum camphora remixtus, auget motum circulatorium sanguinis, estque praestans balsamicum & vermes enecans remedium.* Vis vnta, vi simplici, semper maior. Cortex, ob vim roborantem, intendit motum sanguinis circulatorium (§§. VI. VII.), atque id ipsum camphora praefat (§. XI.); cortex est balsamicum remedium (§. VI.), neque minus camphora (§. XII.); tandem cortex Peruianus vermes ericat (§. VII.), & idem effectus a camphorae vsu sperandus (§. XI.). Ergo etiam cortex chiae, cum camphora armatus, omnes effectus, in limine huius §. descriptos, excitabit. Fugendum itaque erit hoc remedium in plethoricis (§. VIII. & anteced.), & durantibus haemorrhagiis, ab orgasmo sanguinis ortis, aut cum eodem connexis (§§. VII. & ant.).

§. XV.

§. XV.

Camphora, cortici adiecta, minuit vim huius coagulantem, & effectus adstrictionis, ab eodem pendens (§. VI.). Cortex inspissat (§. VII.), cum camphora resoluit (§. XI.); huius itaque, illi adiectae, auxilio inspissatio, quam cortex pendissequam habet (§. VI.), minui debet. Effectus adstrictionis sunt spasmi & stases cum effectibus suis (per princ. Pathol.); camphora spasmos stasesque tollit (§. XII.). Ergo camphora, cortici admixta, effectus adstrictionis, ab hoc pendens, infringit. Tale itaque remedium, vigente etiam spasmodorum paroxysmo, adhiberi potest (§. VII.), nisi ab orgasmo fuerint producti spasmi, aut cum eodem connexi (§. ant.); quid? quod, praesente viscida materia, solo cortice Peruiano tutius usurpatur (§. VIII.), eritque roborans tantum (§. VI.), & sedans (§. XII.). conf. de HAEN l. m. c.

§. XVI.

Cortex Peruianus, cum camphora remixtus, motum sanguinis versus peripheriam, a debilitate sufflaminatum, restituit; sudorem, aliasque excretiones serosas, propter deficiens robur languescentes, auget. Cortex tollit debilitatem cum suis effectibus per se (§. VII.), vt & cum camphora remixtus (§. anteced.). Camphora praeterea sudores pellit & vrinam mouet (§. XI.). Sequitur inde necessario, corticem Peruianum, cum camphora remixtum, omnes illos edere opportere effectus, quos ipsi in initio huius paragraphi adsignauit. Atque nunc opus erit B. L. vt, his cognitis, usum corticis Peruiani, cum camphora remixti, in febribus, ex putredine ortis, contemplemur. Cui doctrinae alteram Dissertationis meae destinavi Sectionem.

SECTIO

S E C T I O N I I.

DE  
V T I L I T A T E  
CORTICIS PERVVIANI, CVM CAMPHORA  
REMIXTI, IN FEBRIBVS EX PVTRE-  
DINE ORTIS.

§. XVII.

**Q**ui omnes, quotquot corpus humanum affligunt, febres, paullo attentiori mente perlustrat, facile inter has eas reperiet, quarum causa, vera est putrefactio, in humoribus, quae vasa nostra pererrant, subnata. Non opus est, vt id pluribus coaceruatis & collectis ratiociniis demonstrare & comprobare annitar, cum variae Dissertationes, quae sub praesidio *Illustris Praesidis* grauissimo defensae sunt, idem argumentum satis superque perstringant. Eiusmodi autem febres nomino *febres ex putredine ortas*. Dicuntur etiam *malignae* ab aliis, saepe male, vt contendit *Illust. de Haen* l. c. Part. III. Cap. I. varia ideo ex *HIPPOCRATE*, *GALENO*, *SYDENHAMO*, *BOERHAAVIO* allegans. Multa hac de re non disputabo. Nollem tamen cum *SYDENHAMO* statuere, plures mortalium malo hoc intellectu, quam puluere pyrio, interimi. Vocabula non interimunt in hoc casu, sed mala principiisque Therapiae sanis repugnans medendi methodus. Rationalis Medicus morbum potius, vt morbum, quam verbum, quo indigitatur, attendit; neque errores, respectu vocabulorum commissi, necessarii sunt errorum, in curandis morbis obrepentium, fontes. Nomines itaque febres, ex putredine massae humorum ortas, vel semper malignas, vel cum *Illust. de Haen*, pro diuersitate symptomatum nimirum, modo be-

D nignas,

26 Sect. II. De Utileitate corticis Peruiani cum Camphora remixti,

nignas, modo malignas, id perinde erit; sequere modo in iisdem sanandis eam, quam casta ratio & experientia ostendunt, viam, erisque Practicus felix.

§. XVIII.

**A**RC Ad has, quas penitus, febres, multae variaeque referruntur a Pathologis. Praecipue autem hoc pertinent, *purpuraceae, variolae valde acutae, petechiales, pestilentiales, & sub certis circumstantiis etiam dysentericae, febres porro catarbales malignae & petechizantes, vt & Hungaricae, seu castrenses.* In his omnibus putrefactio humorum, vt caussa, aut concaussa saltem febris, obtinet, vt ex pathologicis principiis patet, atque idcirco iure meritoque febribus ex putredine ortis accensentur. Quis autem non videt & concedit, diuersos putrefactionis gradus in iisdem possibles esse & actu existere? Nonne in peste maior est putrefactio, quam in variolosa febre, licet etiam haec valde acuta sit? Isti tamen gradus ex pluralitate casuum tantum constitui debent. Frequens enim docuit experientia, morbos, plerumque aliis mitiores, his nonnumquam esse longe grauiores. Morbilli v. g. frequentissime variolis sunt meliores; saepe tamen his multo peiores a Practicis sunt obseruati. Verum de hac re non est cur multa faciam verba.

§. XIX.

Corticem Peruianum & camphoram in febribus commendare & adhibere, quarum scaturigo est humorum putrefactio, nihil est noui. De cortice multa, quae colligit *Illustr. de HAEN*, exempla & testimonia id euincunt. *Richardus MORTON* eundem vt vniuersale antidotum in febribus malignis commendauit. *Medici Vratislauenses* illius utilitatem in denominatis febribus suspicati sunt. *Fr. TOR-TVS, Carol. RICHA, HVXHAMVS*, corticem ob eandem rationem laudant, & *Celeb. PRINGLE* egregiam eius in febribus

bus malignis est expertus vtilitatem. Plurima tamen in hac re praeftitit *Illuftr. de HAEN*, qui pulcros corticis Peruianis in putridis febribus effectus in aureo libro, quem multoties iam laudauimus, l. c. *Cap. I.* & *Part. IV. Cap. I.* eleganter, pro more suo, exposuit. *SCHREIBERVS* etiam corticem in peste commendat & usurpauit (l. c. *Propof. XVIII.* pag. 69. 70); miror eum ab *Illuftr. de HAEN* omifsum esse. Denique *SCHVSTERVS* (*Nou. Act. Acad. N.C. Tom. II. App.* pag. 255. 256.) corticis egregiam virtutem in febre epidemica maligna expertus est. Longe plura possem testimonia colligere; verum haec iam ſufficiant. Camphoram adhuc plures adhibuerunt & commendarunt. *SCHREIBERVS* multus est in laudibus eius enarrandis, quas debet in peste praefſtare, cum mercurialibus remixa (l. c.). *Illuftr. PR AESES* eandem in febribus malignis, tam ad promouendam difficultius forſitan ſuccedentem exanthematum eruptionem, quam ad praecaueandam illorum retroceſſionem laudat (l. c. §. IX.); *DIE MERBROECKIVS* eam in peste praefcriptis; *Perilluſtr. de HALLER* camphoram, a *Celeb. TRALLESI* merito praedicatam, in variolis valde malignis ſummo cum fructu usurpauit (*Opusc. patbol.* Venet. 1755. *Obſeru. XLIV.* pag. iii. ſeqq.). *Illuftr. de HAEN* eandem in febribus malae indolis adhibuit (l. c. *P. III. Cap. I.*), licet iudicium *Medicorum Vratislauienſum* haud fauens adduxerit (l. c. p. 15.), & *HEVCHERVS* integrum de hac materia conſcriptis *Dissertationem*. Vnicum tantum & grauem adhuc excitabo teſtem, *Illuftrum* nempe b. m. *HOFFMAN NVM*. Commendat hic camphoram in peste, non ſolum in *Dift. de Vſu campborae interno ſecurifimo & praefantifimo*, Hal. 1714. verum etiam in *Medic. ſystem. rarior. Tom. IV. Part. I. Sect. I. Cap XII.* praedicit electuarium camphoratum, quod in *Vindobonensi Peste* ſummam attulit vtilitatem. Neque tandem remixa-

28 *Sect. II. De Utilitate corticis Peruuianii cum Camphora remixtis;*

camphorae cum cortice Peruuiano noua est. *Illustr.* enim de  
HAE N (l. m. c. Cap. V.) cortici admiscerunt camphorae tan-  
tillum ad compescendos dolores in cancro mammae, atque  
id iam monui §. I. An vero cortex Peruuianus, cum cam-  
phora remixtus, in febribus malignis, seu ex putredine  
ortis, iam in ysum vocatus sit? determinare non audeo.  
Insignem autem huius medicamenti utilitatem in eiusmodi  
febribus facile nunc eruere possumus, cum principia, ad  
hanc rem necessaria, in priori Sectione iam rite, vt arbit-  
ror, stabilita sint. Velle tamen, vt notet B. L. me, si  
de febribus, ex putredine originem ducentibus, in subse-  
quentibus disserturus sim, has febres sine aliis morbis, illarum  
symptomata non referentibus, seu absque complica-  
tione cum aliis aegritudinibus concepturum, nisi contra-  
rium a me expressis verbis innuatur.

§. XX.

*Cortex Peruuianus, cum camphora remixtus, ad praeca-  
uendas febres putridas debet egregium esse remedium.* Cui, vt  
morbus quidam praecaueatur, animus est, ille efficere de-  
bet, vt vel plane non oriatur, vel, si oriatur, periculo  
careat. Cessante cauſa, cessat effectus inde determinan-  
dus. Ergo, qui febres malignas praecauere vult, illum vel  
ortui cauſae illarum in corpore humano, vel huius graui-  
tati & magnitudini, obicem ponere oportet (per anteced.).  
Atqui cauſa febrium putridarum est putredo massae humo-  
rum & per eandem exclusum putridum (§. XVII.). Hinc  
curae praeseruatiuae febrium malignarum fundamentum his-  
ce praecipue indicationibus innititur: 1) putridi, vel in  
corpore humano nati, vel ipsum ingressi, vltior propagatio  
impediatur atque illud citissime eiiciatur; 2) caueatur,  
ne corpus sanum, seu quod nondum inquinatum est, pu-  
tridum aut recipiat, aut generet. *Priori* indicationi omne  
id

id satisfacit, quod putredini resistit, seu quod balsamicum est, simulque excretiones naturales serofas, diurefin potissimum & diaphoresin, auget. Cum ergo cortex Peruuianus, camphora armatus, egregium remedium balsamicum sit (§. XIV.), cum idem excretiones naturales serofas, a debilitate corporis sufflaminatas, intendat (§. XVI.), atque demum in corpore, cui iam inhaeret qualecunque putridum, in febribus malignis praefens, prostratio virium compareat, ut causa suppressarum, aut languescentium excretionum naturalium serofarum (per princ. patholog.): nullum erit dubium, quin priori indicationi formatae egregie respondeat cortex Peruuianus, cui adiecta est camphora (per ant.). Spasmi, quod lubens concedo, sunt etiam causae suppressarum aut imminutarum excretionum naturalium, atque saepe occurunt in febribus malignis ut harum symptomata, a vi nempe putridi irritante. Verum in nostro casu paucum adesse debet putridum, quod spasmos certe non producit; spasmi autem, ex alio fonte promanantes, huc non pertinent, illos enim omitto (§. anteced.). *Posteriori* indicationi satisfit usu balsamicorum, & fuga omnium rerum, quibus putridum aut generari, aut recipi possit. Ergo huic etiam indicationi apprime respondeat cortex Peruuianus, cui camphora est adiecta (§. XIV.). Rite ea propter demonstravi, hocce medicamentum ad prae-cauendas febres putridas esse debere egregiae virtutis.

## §. XXI.

Opus nunc est, vt eiusdem medicamenti vtilitatem in ipsis febribus malignis consideremus. Atque vt congrue hoc fiat: *primo* idem cum indicationibus, quas sibi eiusmodi febris, quatenus est mali moris, vindicat, comparabo, ostendamque, illud cum his optime conuenire; *dein* euincam, alia nonnumquam symptomata, cum febre ma-

ligna non necessario connexa, eius usum exposcere. Qui febrium malignarum genium rite perpendit & cognitum habet, facile perficiet, sequentes in iisdem sanandis attendendas esse indicationes: 1. *Putredini resistatur, putridum natum corrigatur & congrue, per transpirationem praecepue, eliminetur.* Huic indicationi ex asse respondet illud, de quo dissero, medicamentum. Putredini resistat, est enim balsamicum (§. XIV.); putridum corrigit, partim propter vim balsamicam, partim etiam propter absorbentem & obuoluentem virtutem (§§. III. VI. XV. & per princ. Therap.); eliminat denique putridum, nam 1) corrigit idem & idcirco aptum ad sui excretionem reddit (per anteced. & princ. Therap.); 2. tollit impedimenta excretionum naturalium ferosarum, spasmum & debilitatem locorum excretiorum (§§. XV. XVI.), putridamque ideo materiam reuera eliminat; sublato enim impedimento, effectus, quem impedit, consequitur; nisi actio virium agentium sublata sit. Qui de his, a priori euictis, adhuc dubitas B. L. conferas, rogo, demonstrata cum iis, quae *Illustr. de H A E N* de solo cortice Peruiano testatur (l. c. Cap. I.). *Cortex*, inquit, *Peruvianus in summa corruptione interna, & externa, inimitabile est alexipharmacum* (pag. 65. II.). Porro: plurimis exemplis nostrorum aegrorum id constitit, quod quaevis criticae excretiones numquam pulchrius, quam sub corticis usu, promoueantur (pag. 66. VII.). Tandem: *Cortex duplici vi pollet, quod & nimios motus caloresque moderet, & debiliores animet* (pag. cit. VIII.). De his, utpote ex observationibus deductis, dubitare non licet. Nonne vero omnes hi corticis effectus, praeter caloris imminutionem, a camphora augentur (§§. XIV - XVI.)? Sed dubium hic nasci potest. Camphora auget calorem (§. XI.); calor, in febribus auctus, noxius est & ad caussas putridi increscentis pertinet. Nonne itaque

itaque reiicienda in febribus malignis? Varia huic dubio opponi possunt: 1. vis camphorae, qua calorem excitat maiorem, imminuitur paullulum a cortice Peruuiano, qui inuoluit; hinc camphora, cortici adiecta, moderate tantum calefacit; 2. calor, prouti docent obseruationes, naturali fere est aequalis in febribus putridis, quid? quod in iis, quae per eminentiam ita nuncupantur, saepe naturali minor, cuius phaenomeni rationem exposuit *ILL. EBERHARDVS* (*Conspet. Med. theor. P. II. p. 56. Schol.*); hinc camphorae, quae, cum cortice mixta, moderate tantum calefacit (per anteced.), in febribus putridis vsus, tantam noxam pedissequam habere nequit; 3. in febribus valde malignis actio cordis fere euanescente videtur, vt experientia probauit. Ne itaque tum putridae particulae in corpore retineantur, actio cordis paullulum erit intendenda. Nunc cor agit propter irritabilitatem, vt solidissime demonstrauit *Perill. de HALLER*; atqui camphora cor irritat (§. XI.), vt & calor (per *Physiol.*). Ergo tantum abest, vt calor, moderate a camphora in ipsis febribus austus, noceat, vt potius saepe conducat. Nonne exinde perspicitur, cur in Peste etiam largior camphorae dosis commendetur? 4. in febribus inflammatoriis commendatur camphora interne, quae tamen ingenti calore interno sunt stipatae; cur ergo in malignis, vbi eius usus tam eximius est, vbi longe minor est caloris gradus, quam in inflammatoriis, non aequa adhiberi debeat, concipere nequeo; 5. camphora maiores praestat in febribus putridis utilitates, quam ea sunt damna, quae a vi eius calefaciente, valde per corticem imminuta, subnascuntur. Atque nunc credo, *B. L.*, me congrue demonstrasse, corticem, cum camphora remixtum, primae febrium malignarum indicationi respondere.

## §. XXI.

32 Sect. II. De Utilitate corticis Peruvianani cum Camphora remixti,

cidub vnd sinu fai §. XXI.

II. *Corpus aegrum roborandum*, ne debilitas, cum eiusmodi febribus connexa, increbat, atque excretiones naturales languescant. Huic indicationi tam immediate, per usum roborantium, quam mediate, per usum balsamicorum, satisficeri debet. *Cortex*, cum camphora mixtus, roborat (§. XV.), estque balsamicum (§. XIV.). Ergo secundae etiam febrium malignarum indicationi respondet. Hinc de solo cortice testatur *Illustr. de HAEN* (l. c. pag. 64. I), illum in malignarum debilitate egregium esse & incomparabile cardiacum. Nonne increscit haec illius virtus per adiectionem camphoram (§. XIV.)? III. *Exanthemata*, cum ipsis febribus connexa, ad peripheriam corporis propellantur, propulsâ ibidem foueantur & conseruentur, retroclusa reuocentur. Caussae, quae difficultem exanthematum eruptionem determinant, aut eorum retrocessionem excludunt, sunt debilitas & spasmus (per princ. patholog.). Atqui cortex Peruvianus, cum camphora mixtus, est roborans (§. XV.) & sedans (§. cit.). Quamobrem hocce medicamentum ad expellenda exanthemata, difficulter erumpentia, ad cutim aptum erit; propulsâ ibidem conseruabit & retrogressâ reuocabit. *Cortex Peruvianus* remedium est, inquit *Illustr. de HAEN* (l. c. pag. 65. IV.), quod exanthematum expulsionem, summa cum aegrorum euphoria, promouet, sustinet, maturat, perficit. De camphora similia fere leguntur (§. XIX.); IV. Minuantur congestiones versus caput, praecaueantur gangraena & sphaeculus in paribus interioribus, recidiuae & metastases. In febribus malignis graues adsunt congestiones versus caput, quae quidem a variis aliis caussis, v. g. flatibus, obstructione aluina, &c. exacerbari possunt, quae tamen proprie in istiusmodi febribus pendent, partim a necessaria, sub omni febre, congestione sanguinis versus caput (per Pathol.),

Pathol.), *partim* a putrido, quod rodit, irritat & debilitat. Ergo ad has congestiones tollendas, saltem minuendas, requiruntur etiam remedia antiputredinosa, caput roborantia, aequalem humorum distributionem efficientia. Noli ergo dubitare, quin cortex Peruianus, cui camphora est admixta, minuat congestiones versus caput in febribus malignis (per ant.). Gangraena & sphacelus in partibus interioribus, recidiuae & metastases, praecaudentur cita & congrua exanthematum ad peripheriam corporis propulsione, eorum ibidem continua consernatione, putridae materiae omnis apta, per spiracula cutis, eliminatione, vsu balsamicorum & roborantium. Quibus omnibus cum respondeat cortex Peruianus, cui adiuncta est camphora (per anteced.) : facile patet, hocce medicamentum ex hoc etiam fundamento omnem in febribus malignis mereri laudem. Hinc dicit *Illusfr. de HAEN* (l. c. V.), *corticem recidiuas praecaueere, quae & passim lethales habeantur, & ipso hoc epidemicō tempore quam plurimos, iam reconualecentes, prostrauerint, & occiderint: praecaueere quoque prauas metastases, quae lenta demum gangraena tabefacta corpora peremerint.* V. *Corpus, superato morbo, roborandum, & excretiones, serosae praecipue, per aliquod adhuc tempus vegetiores conseruandae.* Quod & huic indicationi vsu corticis Peruiani, cum camphora remixti, continuato satisfiat, non neglectis simul aliis congruis remediis, nullo dubitari potest modo, cum id antecedentia iam testentur. Quamobrem etiam *Illusfr. de HAEN* usum corticis, superato etiam morbo, continuavit.

### §. XXIII.

Est itaque a me demonstratum, camphoram & corticem Peruianum, inter se mixta, indicationes, quas sibi vindicant febres malignae, egregie adimplere (§§. XXI. XXII.). Sequitur, vt de morbis atque symptomatibus,

E

cum

cum istis febribus nō semper necessario connexis, paticula quaedam adhuc adiiciamus. I. Saepe contingit in febribus malignis, vt in tubo cibario bilis & cruditates colligantur, inde que febres malignae ancipitem nanciscantur euentum. Vid. Illūstr. P R A E S I D I S Dissert. de Februm malignarum ancipīt̄ euentu, ob tubum cibarium bile & cruditatibus repletum, Hal. 1757. In hoc statu, post alia v̄surpata, cōmmandantur etiam incrassantia, obuoluentia, blandam diaphoresin promouentia, inflammations praecaudentia (III. P R A E S E S l. m. c. §§. XLVII. XLVIII.). Sed cortex incrassat, obuoluit, abforbet (§§. VI. VII.) ; camphora praecauet inflammations (§. XI.), & mixta haec in febribus malignis blandam diaphoresin excitant (§§. ant.). Nonne itaque in tali rerum statu cortex Peruuianus, camphora impregnatus, erit egregium medicamentum? Accedit insuper huius medicamenti vis balsamica (§. XIV.), qua putridae materiae, a vermisbus v. g. aut aliis caussis in tubo cibario natae, resistit. SCHREIBERVS, qui venenum pestilentiale bilem praecipue afficere putat, corticem Peruuianum valdopere ideo etiam commendat, dicens: *Cortex temperat vitia bilis, praeferit acrimoniam eius: vti patet in cura auriginis, nec non eorum, quae fiunt in subito irascientibus* (l. c. Propos. XVII. pag. 67.). II. In febribus malignis saepe oritur diarrhoea fistenda. Scio non omnem diarrhoeam in febribus malignis esse periculosam, in variolis praecipue; scio in his earumque febre secundaria leniora purgantia saepe valde esse proficia (cf. praecipue hic Celeberr. TRALLES de Methodo mendendi variolis, battemus cognita, saepe insufficiente &c. Dissert. epistol. ad Cels. SVLZERVM data. Vratislau. 1761.). Verum scio etiam, in iisdem non omnem diarrhoeam innoxiam, multo minus salutarem esse. Historiae, quae id testantur, omnem excedunt numerum, easdemque quotidiana

na fere experientia auget. Eiusmodi ergo diarrhoeae fisti debent. Cortex Peruianus tale est remedium, quod fistit excretionem aluinam excedentem (§. VII.), neque cum camphora datus, hanc virtutem perdit (§. XV.); & praeterea praecauet simul intestinorum inflammations (per ant.), saepe in tali aegrorum statu comparentes (per Observ.). Ergo in hoc etiam casu egregium erit medicamentum, cortex cum camphora remixtus. III. *Gangraena in partibus externis* saepe comparet in febribus exanthematicis malignis. Auctorum, qui de variolis, petechiis, febribus pestilentialibus scripserunt, libri, pleni sunt iis, quae hanc comprobant veritatem. Cortex Peruianus, cum camphora mixtus, verum est contra eandem remedium. Resistit enim gangraenae, ut in Sectione priore fusius iam est demonstratum. Vid. *Illusfr. de H A E N* l. c. Cap. I. *Histor. VI.* Omitto hic haemorrhagias, aut naturales excedentes, aut praeter naturales, nonnumquam sub febribus malignis pessimo cum eventu suborientes. Itae enim solum potius corticem Peruianum, quam cum Camphora remixtum, sibi vindicant, cum, si a febre maligna producantur, qua tali, sint absque orgasmo (§. VII.), & cortex putrido resistat, cui natales debent (§. VII. & per princ. pathol.). *Illusfr. de H A E N* cortice miictum cruentum sat periculosum fustulit (l. c. *Hist. I.*), atque adiicit (pag. 65. III.), videtur, eum conformatum in malignis miictum cruentum, cruentamque aluum quoque sanare. Fit porro saepe numero, ut in febribus malignis abdomen flatibus, a sola debilitate prouenantibus, turgidum reddatur; atque huic etiam morbo sanando apposite respondebit cortex Peruianus solus datus: roborat enim intestina (§. VII.), hinc natos iam flatus discutit, nouorum vero prouentum impedit. In vtrisque autem, nunc recensitis, casibus admixtio camphorae ad corticem super-

uacanea erit, licet non statim noxia. Utiles tamen erit, quando signa inflammationis vel praesentis, vel metuendae comparent, aut aliis casus grauior additionem camphorae requirit, neque reiicienda esse videtur, quando flatuum caussa in intestinorum spasmo latet (*Nou. Act. Acad. N. C. l. c. §. V. pag. 240.*), aucta praecipue eius actione per clysteres emollientes.

### §. XXIV.

Febris maligna incidit nonnunquam in periodum menstruam, atque tum opus est, ut fluxus menstruus, si compareat, rite conseruetur, ne eo suppresso spasmi, exanthematum retrocessiones, aliaque mala proueniant. Inde autem dubium nasci posset contra usum corticis Peruviani in febribus malignis. Cortex enim haemorrhagias fistit (*§. VIII.*). Verum 1. camphora, ipsi adiecta, tollit quodammodo effectus adstrictionis, a cortice pendentis (*§. XV.*); 2. fieri potest, ut a debilitate supprimatur (per princ. pathol.), atque tum tantum aberit, ut cortex eundem magis fistat, vt potius restituat (*§. XVI.*); 3. venae sectio, rite instituta, vitium remedii, alias in his febribus tam egregiae virtutis, emendare potest; quam praefans enim V. Sio in hoc casu saepe sit remedium, poteris vide-re ex *Dissertat. Illustr. PRÆSIDIS, de Haemorrhagiis natura- libus quatenus impedientibus salutarem solutionem febrium malig- narum, Hal. 1758.* Cortex praeterea Peruvianus impedit quoque excretionem aluinam (*§. VII.*). Ut itaque hoc eius vitium emendetur: opus est, ut, si incommoda, ab obstructa aluo pendentia, forsitan appareant, clysteres oleosi, mu- cilaginosi, emollientes, non vero saliti & acres, in usum vocentur. Corticem autem Peruvianum ideo, quoniam aluum obstruere valet, in febribus malignis plane reiicien- dum

dum esse, qui affirmare velit, eius assertum minus cum sa-  
nae rationis legibus conspiraret.

## §. XXV.

Vt autem cortex Peruuianus, cum camphora remix-  
tus, salubres istos effectus actu producat in febribus mali-  
gnis, sequentia adhuc erunt notanda: I. *Mature est dandus*,  
alias enim putrefactio valde increscit, omnique medica-  
mentorum vi redditur superior. Hinc cortex serius datus  
malignitatem non curat, docente id pluribus in locis illu-  
stri de HAEN (l. c. P. III. Cap. I. P. IV. Cap. I. §. IV.). Ne-  
que camphora adiecta mira hic praestabit. II. *Cortex magna*  
*in copia praescribendus*. Dosis eius (extracti corticis Peruuia-  
ni), inquit III. de HAEN (P. III. pag. 49.), *eximiam dedi, quia*  
*vsum, per varia discrimina rerum, me eo perduxerat, vt, dum*  
*ad auerruncandam, abigendamue gangraenam, cortex quidquam*  
*iuuaret, non parca manu iuaret, sed larga datus.* Quippe par-  
cior exhibitus cortex, leuamen, non curam, artulit. Dedit  
quotidie vnciam huius Extracti integrum; dosin tamen  
postea successiue imminuit. Vid. IDEM l. m. c. pag. 66. VI.  
De camphorae addendae copia non est, cur multa dicam.  
Generaliora circa vsum eius internum praecepta hic quo-  
que erunt tenenda, & dosis, cortici adiicienda, debet ex  
indole morbi, symptomatum ipsiusque indiuidui conditio-  
nibus determinari. Atque haec ab aliis iam sunt ita expo-  
sita, vt iisdem inhaerere superuacaneum foret. III. *Non*  
*sunt alia remedia, quae indoles symptomatum requirit, negli-*  
*genda.* Venae sectionum (§§. VIII. XIV.), vesicatoriorum,  
clysterum emollientium, &c. vsum saepe hic erit necessarius.  
Decocta auenacea mira praestare dicuntur.

## §. XXVI.

Docui hactenus vsum corticis Peruuiani, cum campho-  
ra remixti, in febribus putridis, quatenus cum aliis febri-  
bus

bus non sunt complicatae; neque de aliis morbis, cum iisdem nonnumquam complicationem subeuntibus, multa in medium attuli. Nunc itaque me, ut animus antea fuit, ad morbos, quibuscum febres malignae complicatae esse possunt, accingerem &, an cortex Peruianus, quo cum camphora est coniuncta, tum quoque utilis aut potius noxius existat? ostendere conarer. Quae autem in §. I. iam adduxi, longiorem sermonem prohibent. Accedit ratio ipsius materiae, quae, nisi quis in meritis generalioribus, parum utilibus, acquiescere vellet, arctos scripti academici limites longe excederet. Finio ea propter hic, quam debui exarare, Dissertationem, reliqua rationi & experientiae aliorum diiudicanda reliquens. Felix, qui vtramque in aegrorum salutem rite coniungit!

## T A N T V M .

---

### *Omissa adiicienda:*

Pag. 7. lin. 4. post vocabulum *nonnumquam*, adde: *in aliis morbis.*

Pag. 8. lin. penult. & vlt. post vocabulum *resinosis*, adde: *gummosis.*



MONSIEUR,

**C**omme cent obstacles sont venus m' ôter la satisfaction, que j'aurois ressentie d'assister à la solennité, qui va Vous mettre au rang des Docteurs, & en Vous opposant d'être en même tems témoin du droit parfait, que Vous avez eu d'y aspirer; je prends la liberté de Vous en féliciter par écrit. Vous allez obtenir un honneur, qui Vous est du d'autant plus que Vous n'en avez pas fait Votre but dans l'héreux étude que Vous avez mis à la Médecine. Il ne me peut être indifférent de voir Votre diligence si glorieusement récompensée; au contraire je m'en réjouis de tout mon cœur, & je Vous souhaite, que Dieu aidant Vous puissiez réussir dans toutes Vos entreprises, continuant de m'affectionner toujours, qui suis avec toute l'estime possible,

MONSIEUR,

Votre

Stolberg le 1. Fevier

1762.

très-dédié serviteur & ami

J. G. F. FRIEDERICI.



**A**rtis in Hippocratis non sum referendus alumnos,  
Nec Te laude scio condecorare Tua.  
At quum pro studiis & dexteritate corona  
Ornet laurifera Te Medicina manu;  
Numquid adhuc dubitem, iacto de pectora læta  
Promere vota, Tui quæ milii dictat amor?  
Conatus fortuna Tuos optata sequatur!  
Sis patriæ atque artis spesque decusque Tua!

Stolbergæ  
Calendis Februarii  
cl. loc. cc LXII.

C. G. ROITZSCH, S.S. Th. Cand.  
Stolbergenfis.

Книга Псаломъ 119: Языкъ и Слово

• 8.08.12 VOM

J. C. B. HRIEDERIG

C. G. RÖHRSCH. 22 T. C. 1947  
S. 1000000000





00 A 6316 (1)




f

V D  
18

Rehse

DIE  
PHI  
V



ATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**V S V**  
**ICIS PERVVIANI**  
**CAMPHORA REMIXTI**  
**BVS EX PVTREDINE ORTIS.**

INDVLTV  
SI MEDICORVM ORDINIS  
REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**E A ELIA BVCHNERO**

CRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
MI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
OSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
AE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
ACADEMIAE NATVR. CVRIOSORVM PRAESIDE  
T COMITE PALATINO CAESAREO,

R A D V D O C T O R I S  
LEGITIME IMPETRANDO  
XI. FEBRVARII d<sup>o</sup> c<sup>o</sup> i<sup>o</sup> cc LXII.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

**G V S T A V V S M A R G G R A F**  
BORGLEBIA-SCHWARTZBURGICVS.

ALAE MAGDEBURGICAE,  
FFICINA VESTERIANA.